

216

Notæ Historicæ

Neptuni filius, Antiochus Herculis filius, Ajax Telamonis filius, Leon, qui filias pro publica salute devovit, & Oeneus Pandionis secundi filius, quibus Athenienses postea Attalum Pergamenum, & Ptolomaeum Philadelphum Aegyptium, ob beneficia ab iis regibus accepta addidere, & Tribus deinde duodecim fecerunt. Hi Athenis magno in honore habebantur, eorumque statuae prope quingentorum curiam ponebantur, ad easq; & non ad Archontum Eponymorum (illi enim eo nomine statuas non habebant) ut stupidissime hallucinatur Petitus, suspendebantur Leges à Nomotheticis scriptæ, ut priusquam latæ erant, ab omnibus approbarentur. Hic etiam Clithenes f^o Ostracismum, quo in exilium Tyrannidis evitandæ causâ mittebantur potentiores, primus instituisse, eoque primus damnatus perhibetur, sed falso: non enim ab Atheniensibus, sed s^z à Cleomene Lacedæmoniorum Rege, ab Isagora, qui Tyrannidem affectabat, accersito sub prætextu reatus ob Cylonium piaculum cum septingentis militaribus familiis urbe pellebatur, ejecis autem ab Atheniensibus Cleomene & Isagora iterum reddit, & Democratiam secundum Solonis leges stabilivit. ⁱ Clithenis frater erat Hippocrates, qui genuit Megacles, & Agaristam. Agarista à Xantippo ducta peperit Periclem. Megacles vero genuit Dinomacham matrem Alcibiadis; hinc Alcibiadis cum Pericle, & utriusque cum Alcmaeonidis cognatio, ob quam utriuspiaculo ob supplicum cædem tenebantur: ^k atque ideo in initio belli Peloponnesiaci Lacedæmonii, cum Pericle ejecto Athenienses facilius vinci sperarent, per legatos postulabant, ut de piaculi reis iterum Quæstio haberetur.

Ep. 47. Ἀφ' ἐκοστής περιπον ἵστων! *Carr* αὐδρῶν ὃν διδάξεις Υπό...*Q.* Χαλ-
ικόδ...ἐπικ.... ἐπι ΗΗΔΔΔ...." Ἀρχευτ*Q.* Ἀδηνῆς Λυσιόρε. Lacunas sic sup-
ple, ὃν διδάξεις Υπό...*Q.* Χαλικόδις ἐπικην Κεὶ ἐπι ΗΗΔΔΔΔΙII, cum enim nu-
merus restituendus debet esse unus eorum, qui inter numerum 248 & 231
intercedunt, numerum ΗΗΔΔΔΔΙII eligo, utpote qui omnium eorum, qui
hic restitui possunt, Lacunæ spatio maxime mihi videtur convenire. Prae-
terea non dubium est, quin hic pro Λυσιόρε, reponendum sit Ισιόρε. Isagoras
autem archon fuit, testibus¹ Dionys. Hal. lib. 5. & Anonymo ἀναγεγρέοντι Olymp.
Autore, Olymp. 68. an. I. an. autem primus Olymp. 68. est an. Ep. Mar. 244.

Xοεὶ ταράτων ἱστορίσητο. Sublatā è veteri Comœdia Chororum licentiā, agi cooperunt seorsim, ut primo ferme agebantur. Nam vetus Atheniensium musa nihil aliud erat præter χρόνος παιδῶν ἢ ἀνδρῶν, choros puerorum & virorum, quod docet Maximus Tytius dissertatione 21. Unde etiam Tragœdia & Comœdia tandem propagatae. Trichoriam Lacedæmoniis instituerat Tyrtaeus ad tres ætates, Puerorum scilicet chorūm, Virorum, & Senum. Vide Pollucem lib. 4. De chori item vetustate, vide Eusebium numero DCCXXIV, ubi de Philammone, & Philostratum in vita Apollonii, lib. 4. cap. 6. ubi de Æschilo. Virorum autem non solum agebatur chorus, sed demum in certamen evasit, quod vicit primus choragus hic seu chori coryphæus (ita dictus, qui choro præerat & eum docuit seu edidit) cuius nomen pene in Marmore obliteratum aliunde restitui, puto, nequit. Hypodicus si legam, favent satis & elementorum quæ supersunt vestigia & lacunæ spatiolum. Chalcidensem fuisse palam est. Nam Χαλκιδές tantum non integrum in Marmore habetur. Quisquis demum heic fuerit, & Poetam & Musicum fuisse insignem dubitandum non est. Viderint igitur perspicaciores an Hippicus carminum scriptor numero Eusebiano MCCCCLXXVII. (qui æque ignotus est) aut Hippasius, nomen apud Capellam æque controversum lib. 9. aut Pondo & Hyperides, in libello cum Censorino plerunque edito, aut medelam heic subministrent, aut hinc accipient. Seld.

^c In libro De Legibus Atticis. ^f Var. Hist. l. 13. c. 24. ^g Herodotus lib. 6. ^h Aristot. Polit. lib. 5. c. 1. & lib. 6. c. 1. ⁱ Herodot. lib. 6. Plutarch. in Pericle, & Alcibiade. ^k Thucydides lib. 1. Plutarchus in Pericle.

Ep.